

liere, quae ex Senatusconsulto ancilla facta, postea autem manumissa & libertate donata est. Mihi quidem rectissime hunc locum interpretari videtur SCHULTINGIVS de ea, quae seruili contubernio, non abnuente domino, polluta liberta facta est. Haec enim expositio omnium facillima est, nec duri quidquam continet. Binae vero priores longius repetitae sunt, & altera earum praeterea aliquid habet, quod, ni admodum fallor, non bene verborum proprietati conuenit. Quomodo enim dici potest serua eiusmodi manumissa, liberta facta ex Senatusconsulto, cum potius ex beneficio & voluntate domini talis euaserit?

Nec vero multum auctoritatis accederet partibus ARNALDI, si quis negare vellet, Senatum castitatis mulierum ullam habuisse rationem, exemplo earum, quae fiscalium seruorum contubernio coniunctae, nullum tamen ingenui status damnum sustinerent (i). Hanc enim lenitatem in feminas tribuendam edicto demum CONSTANTINI scimus, ex quo insuper constat, ius vetus multo durius fuisse & rigidius, quippe quod nullam nec ignorantiae veniam tribuerit, nec aetati. Atque hic hactenus quidem de lectione Lipsiana.

Ad alteram, antiquam dico, lectionem me conuersurus, disquirendum erit, liberi ex muliere, quae cum seruo illegitimum inierat contubernium ideoque seruitutis iugum subierat, procreati, ex Senatusconsulto libertini sint, nec ne. Quam quidem disputationem quo rectius instituamus, non iniquum nobis fuisse videmur locum, ad eas, quae de statu quaestiones iactantur, ordine eo, quem variae temporum vicissitudines praemonstrant, in vnum collectas, quasi in tabula aliqua depingendas. Statum

(i) L. 3. C. Tb. ad SC. Claud.